22 *[Tertio] contra tertiam et quartam conclusiones ponam argumenta Iuliani haeretici, quae ponuntur et solvuntur ab Augustino libro primo contra eundem Iulianum.* Et primo arguitur sic³⁹: Natura coniugii bona et voluntas bona est. Igitur peccatum originale ex eorum commixtione, quae sine peccato est, non perpetratur. Consequentia patet, quia non potest arbor bona fructus malos facere, ut patet Matthaei 7 (18). Antecedens patet de Elisabeth et Zacharia parentibus Praecursoris et in multis aliis.

23 *Quarto arguitur*⁴⁰ auctoritate Iohannis Chrysostomi in homilia de baptismo⁴¹, ubi ait: «Infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis detur sanctitas, iustitia, cooperatio fraternitatis Christi».

³⁶ *De nupt. et conc.* I, 22sq., 24-28: CSEL 42, 237-241.

³⁷ cf. PLomb. II, 30, 10: 501, 12sq.

³⁸ vide supra notas 36 et 37.

³⁹ cf. *C. Iul.* I, 8, 39: PL 44, 668.

⁴⁰ cf. *I.c.* I, 6, 21: *ibid.* 655.

⁴¹ Zitiert nach AUGUSTINUS *I.c.*

24 *Quinto* arguitur sic: Si omnes in peccato praeter Christum conciperentur, sequitur quod omnes essent rei mortis, si sine baptismo morerentur. Falsitas illius patet. Esto enim quod aliquis praedestinatus nascatur, talis si moreretur, modo qualitercumque salvaretur. Consequentia patet de se, quia reus damnatur et per consequens esset in peccatis.

25 *Sexto* arguitur sic: Si homo, quando primo nascitur, esset in peccato, sequitur quod Deus esset huius peccati causa. Probatur consequentia, quia talis in primo instanti sui esse effectus est talis, qualem eum sua causa creat. Si igitur anima, quae est effectus Dei, in primo instanti sui esse esset mala, tunc Deus crearet eam malam.

26 *Septimo* arguitur sic: Culpa primi parentis est restaurata per mortem Christi. Igitur nullus nascitur in peccato originali. Consequentia patet, quia si adhuc propter peccata parentum essemus damnabiles, iam non essent restaurata. Antecedens patet, quia alias Christus esset gratis mortuus.

27 *Octavo* arguitur specialiter de Virgine gloriosa, quod ipsa non sit in peccato originali concepta. Et primo auctoritate Augustini in libro *De natura et gratia*⁴², ubi dicit, quod, cum de peccatis agitur, de ipsa non velit fieri mentionem seu quaestionem.

28 *Nono* arguitur sic: Si Virgo gloriosa in peccato originali esset concepta, sequitur quod filius non fecisset matri honorem debitum, quod est contra praeceptum Exodi 20 (12), ubi dicitur: «Honora patrem et matrem».

29 *Decimo* arguitur sic: Si ipsa non esset vel fuisset expers peccati originalis, sequitur quod festum conceptionis eius celebrari non deberet, quod est contra miracula, responsa et revelationes ipsius Virginis gloriosae.

30 *Ad ista respondetur. Ad primum* dico, quod si antecedens intellegitur formaliter, tunc est negandum. Et tunc, quando Augustinus et Magister⁴³ dicunt concupiscentiam esse peccatum, dico quod ipsi accipiunt ibi poenam vel signum peccati pro peccato [fol. 178ra]. Et utroque modo utitur Scriptura. Exemplum primi habet Scriptura prima Petri 2 (24), ubi dicitur de Domino, quod peccata nostra ipse tulit, id est poenas

⁴² *De nat. et grat.* 36, 42: CSEL 60, 263sq.

⁴³ vide supra notas 36 et 37.

ipsorum peccatorum. Exemplum secundi habetur quarto *Metaphysicae*⁴⁴. Nam ibidem dicitur: Dicitur enim urinam esse sanam id est signum sanitatis. Non utroque modo concupiscentia potest dici peccatum originale. Est enim poenale signum. Unde si rex aliquos proscriptos signo poenali signaret iniungens suo praeposito, ut omnes taliter signatos certo tempore interficeret, si quibus tunc postea non deposito tali signo poenali obligationem ad mortem afferret, diceretur quod tales ante indulgentiam regis mortem suam portaverint. Et iste modus videtur fuisse de intentione Augustini libro praeallegato, videlicet *De nuptiis et concupiscentia*⁴⁵, ubi dicit, quod reatus peccati in baptismo dimittitur, concupiscentia vero manet. Nam et plures poenae peccati Adae, quas habuit, adhuc manent in nobis, ut mors temporalis et huiusmodi.

31 Quidam tamen dicunt concupiscentiam huiusmodi esse peccatum isto modo, quod non posset in homine auferri concupiscentia, nisi gratia donaretur. Quod videtur esse ad placitum dictum. Omnem enim sensualitatem Deus posset auferre, ut credo, gratiam tamen non donando.

32 *Ad secundum* patet solutio, quia fundatur super eodem fundamento cum primo, cum ibi sit una forma arguendi falsa, quae non valet. Puta haec: «Omne peccatum originale» etc. Dico quod non valet, quia unum istorum potest esse sine altero. Quare exemplum de animali et homine non est ad propositum. Et datur instantia: Si enim omnes homines essent albi nullumque aliud esset album, adhuc multa possent esse alba, quae non possent esse homines. Quare consequentia non valet.

33 *Ad tertium* conceditur antecedens et negatur consequentia. Ad probationem dicitur⁴⁶, quod mala arbor, id est voluntas primi parentis, hunc fructum plantavit et hoc sufficit ad reatum.

34 *Ad quartum* respondet Augustinus Iuliano primo libro contra eum dicens⁴⁷: Johannem episcopum Constantinopolitanum in hac opinione non discedere a suis coepiscopis videlicet «Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanensi Ambrosio». Unde idem Johannes ad Olympiam scribens, ut ibi allegat Augustinus⁴⁸, ait: «Adam peccavit et

⁴⁴ cf. *Metaphys.* 4, 2 (Aristoteles 2, 1003 a 36 und Arist. lat. XXV, 2, 60, 17).

⁴⁵ *De nupt. et conc.* I, 25, 28: CSEL 42, 240sq.

⁴⁶ cf. *C. Iul.* I, 8, 40: PL 44, 669.

⁴⁷ l.c. I, 6, 22: ibid. 655.

⁴⁸ l.c. I, 6, 24: ibid. 656.

id grave peccatum omne genus hominum in communi damnavit». Ad auctoritatem Johannis dicit Augustinus⁴⁹, quod in graeco non habeatur, ut allegat Iulianus. Sed ibi habetur: «Ideo infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes»; non ponit: non coinquinos, sed non habere peccata; «intellege», inquit, «magis propria, et nulla contentio erit».

35 *Ad quintum* conceditur propter sententiam Domini Salvatoris Johannis 3 (5): «Nisi quis renatus fuerit» etc.; et ad probationem falsitatis, cum dicitur: «Esto, quod aliquis» etc., dico, quod est impossibile, quod aliquis sit praedestinatus et quod non baptizetur flumine vel flumine vel [fol. 178rb] sanguine.

36 *Ad sextum* negatur consequentia, quia primus homo est causa, quare Deus tali animae non infundit gratiam. Unde Deus potest dici esse causa tantum permissive, sed non active.

37 *Ad septimum* dicitur, quod culpa est sic restaurata, quod per baptismum salvamur, non autem sine eo; et in hoc fuit nobis magna gratia facta, quod, dummodo saltem renascamur, paradisi ianuam nobis reseravit.

38 *Ad octavum* dicitur, quod Augustinus loquitur ibi de peccato actuali solum, quia alias contradiceret sibi ipsi, ut patet per illud, ut superius per ipsum allegatum est⁵⁰.

39 *Ad nonum* negatur consequentia, quia, si talis honor decuisset matrem Domini, utique filius impendisset ac fecisset sibi eum. Sed honor fuit sibi eam in matrem eligere et super choros angelorum exaltare; et hunc fecit et exhibuit sibi.

40 *Ad decimum* dico, sicut communiter et bene dicitur, quod licite eius festum celebrari potest habendo aspectum non ad eius conceptionem, sed ad eius conceptae proxime sanctificationem. Credendum enim est, quod citissime, postquam anima fuit corpori unita, ipsa fuit sanctificata et ab omni reatu peccati mundata. Quare festum de eius conceptione licite celebrari potest. Et haec sufficiant de primo articulo huius quaestionis.

⁴⁹ l.c. I, 6, 22: ibid.

⁵⁰ vide supra TB 14-15.

[Secundus articulus]

41 Secundus articulus huius quaestionis erat de hoc, quomodo peccatum a parentibus in posteros transducatur. Pro cuius quidem articuli responsione pono *aliquas conclusiones*. Quarum *prima* est ista, quod in generatione propter primi parentis delictum et per concupiscentiam proximorum parentum peccatum originale in parvulos transducitur. *Secunda conclusio* est, quod anima infantis non ex traduce gignitur, sed a Deo noviter creatur. *Tertia conclusio* est, quod ex commixtione animae cum corpore anima originali vitio maculatur.

42 *Prima conclusio* quantum ad primam eius partem, scilicet quod propter primi parentis delictum etc., satis patet ex primo articulo huius quaestionis. Et patet etiam per Apostolum Ad Romanos 5 (12) dicens, quod «per unius hominis peccatum» etc. Et ibidem dicitur etiam, quod in Adam omnes peccaverunt. Sed quoad secundam eius partem patet per Augustinum primo libro De nuptiis et concupiscentia⁵¹ ponentem auctoritatem beati Ambrosii⁵², quod qui expers est peccati originalis, talis est expers libidinosae conceptionis; et talis libidinosa conceptio est aliquo modo causa peccati originalis, ut ibidem ponitur.

43 *Secunda conclusio probatur* per Glossam psalmi 32⁵³, et habetur in hoc secundo [Sententiarum], dist. 31 cap. 2⁵⁴. Et est dictum beati Hieronymi in quadam epistula ad Augustinum exponentis illud (Ps 32, 15)⁵⁵: «Qui finxit singillatim corda eorum», ubi sic dicit: «Qui finxit» etc., «id est animas singillatim creavit». Item oppositum huius conclusionis est haeticum, ut habetur 32 quaest. 2⁵⁶, ubi reprehenditur opinio ponens animas fieri ex traduce. Ad illud videtur esse opinio Augustini in homilia una de verbis Apostoli⁵⁷ tractans illud [Ad] Romanos 7 (18): «Scio quod in carne non habitat bonum» [fol. 178va], ubi clare dicit Augustinus: Vitium concupiscentiae anima ex se non habet, sed ex carne traxit. Quare anima ex traduce facta non est. Alias enim iam a se, non a

⁵¹ *De nupt. et conc.* I, 35, 40: CSEL 42, 251.

⁵² AMBROSIUS, *Fragmenta in Esaiam* I, 10-13: CCL 14, 405.

⁵³ PETRUS LOMB., *Comment. in psalmos*, ps. 32, 15: PL 191, 334.

⁵⁴ recte PLomb. II, 18, 7: 421, 15-18.

⁵⁵ recte *Contra Joannem Hierosol.* 22: PL 23, 389B.

⁵⁶ melius PLomb. II, 31, 2: 505, 20-506, 10.

⁵⁷ cf. *Serm.* 154, 10, 14: PL 38, 839.

carne concupiscentiae vitium possideret. Haec eadem conclusio habetur ab Augustino in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*⁵⁸.

44 *Tertia conclusio probatur* sic: Si anima non coniungeretur corpori, non macularetur tali vitio. Igitur conclusio vera. Antecedens patet ex auctoritate Augustini iam allegata⁵⁹, quia tunc peccatum primi parentis non est invertendum ipsi animae.

45 *Contra istas conclusiones* arguitur et primo *contra primam*, et hoc sic: Aliquis sine concupiscentia parentum concipitur, et tamen talis contrahit peccatum originale. Igitur secunda pars conclusionis falsa. Antecedens probatur per casum quem ponit Commentator in suo *Colliget* libro secundo⁶⁰; et allegatur a multis modernis, videlicet ubi detur, quod cum quaedam femina intraret balneum, in quod vir semen amiserat; quo semine attracto per matricem feminae conciperetur infans. Quem casum refert Commentator suis temporibus evenisse. Ibi igitur sine dubio fetus peccato originali non careret et tamen vir in tali conceptione libidinose cum femina non coiret.

46 *Secundo* arguitur ad idem sic: Nam si Deus masculum et feminam in coitu a libidine praeservaret, adhuc tamen fetus originali culpa non careret. Igitur conclusio saltem quoad secundam partem falsa. Consequentia patet, quia cum hoc adhuc staret veritas Evangelii Johannis 3 (5): «Nisi quis renatus» etc. Et confirmatur, cum huiusmodi concupiscentia non sit nisi poena peccati, ut determinat Augustinus [nono] *Super Genesim* ad litteram cap. [11]⁶¹. Et si una pars poenae subtrahitur, non oportet, quod propter hoc alia consequenter subtrahatur, cum etiam subtractio gratiae sit poena peccati originalis.

47 *Tertio contra secundam conclusionem* arguitur sic; et primo auctoritatibus Augustini quinto^f *Super Genesim* ad litteram in fine⁶² super illo: «Requievit» etc., ubi dicit Augustinus, ut iam novam naturam ulterius nullam crearet, non ut ea, quae condiderat, continere et gubernare cessaret. Idem in *Quaestionibus ad Orosium* quaest. 41⁶³ ait sic:

^f primo Ms.

⁵⁸ GENNADIUS, *De eccl. dogm.* 14: PL 42, 1216.

⁵⁹ vide supra notam 57.

⁶⁰ AVERROES, *Colliget* II, 10: Aristot. Opera cum Averr. Comment. X, Venedig 1562, fol. 22vb L.

⁶¹ cf. *De Gen. ad litt.* IX, 11: CSEL 28, vol. 1, 281.

⁶² cf. l.c. V, 23: ibid. 169, 13-16.

⁶³ PSEUDO-AUGUSTINUS, *Dialogus quaestionum* LXV, qu. 42: PL 40, 747.

«Deus requiescere dicitur ab operibus novis, quia post sex dies nullam naturam creavit».

48 *Quarto* arguitur ad idem ratione Augustini decimo Super Genesim ad litteram⁶⁴, ubi accipit illud Ad Romanos 5 (12): Omnes in Adam peccaverunt: Vel igitur, inquit, secundum carnem vel secundum animam; non secundum carnem, quia sola anima peccat, supple ex eo, quod ipsa sola principaliter inordinate concupiscit. Caro enim non dicitur concupiscere nisi sicut organum visus dicitur videre vel organum auditus dicitur audire, quia caro dicitur concupiscere, quando anima secundum carnem delectatur. Nec in Adam peccavimus secundum animam, si anima ex traduce propagata non est. Si autem dicitur, quod anima infusa carni contrahit peccatum, ut videtur dicere tertia conclusio, contra hoc sunt verba Augustini ibidem⁶⁵, ubi ait: «Tunc cavendum est, ne Deus videatur [fol. 178vb] esse auctor peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse est; vel ne sit aliqua alia anima praeterquam Christi, cui liberandae gratia Christi non sit necessaria, quia non peccavit in Adam». Subdit igitur Augustinus⁶⁶: «Natura sic facta a Deo, etsi Deo dante carni data est, cur alienabitur ab aeterna vita, si baptizando infanti nemo subvenit? Respondere possunt qui secundum Scripturas, vel quod ab eis non inveniatur vel quod eis non adversetur, qui conantur animas novas non de parentibus ductas dari; nondum me uspiam legisse fateor».

49 *Quinto* arguitur ratione eiusdem Augustini posita ubi supra quarto capitulo⁶⁷ per Apostolum Ad Hebraeos (7, 9sq.): «Levi decimatus est in lumbis Abrahae, non autem Christus», de quo etiam habetur sexto Super Genesim ad litteram cap. 3⁶⁸. Aut hoc intellegitur secundum carnem aut secundum animam; non primum, quia secundum carnem est Christus ibi decimatus, quia descendit secundum carnem de semine Abrahae, quia Matthaei 1 (1) ipse dicitur filius David et Abrahae. Igitur secundum animam. Et per consequens anima de Abraham ex traduce descendit; et per consequens anima Levi non est sic creata a Deo sicut anima Christi.

50 *Sexto* arguitur sic: Non propter hanc auctoritatem psalmi 32 negandum est animam esse ex traduce. Igitur ratio pro conclusione non

⁶⁴ cf. *De Gen. ad litt.* X, 11: CSEL 28, vol. 1, 307sq.

⁶⁵ l.c.: ibid. 308, 13-17.

⁶⁶ l.c. X, 15: ibid. 314, 17-25.

⁶⁷ l.c. X, 19: ibid. 32, 321sq.

⁶⁸ l.c. VI, 8: ibid. 179.

valet. Consequentia est nota. Et antecedens patet per Augustinum decimo Super Genesim ad litteram cap. 1 de magnis⁶⁹; ubi ait: «Neque hoc, quod scriptum est (Ps 32, 15): Qui finxit singillatim corda eorum, repugnat cuiquam» etc. «non ambigimus. Sicut enim ex una», supple anima, «quam flavit in faciem primi hominis, ipse utique singulas finxit, sic etiam corpora». Supple: Exponit tamen Augustinus hoc de confirmatione gratiae⁷⁰. Item super illud Isaiae (57, 16): «Omnem flatum ego feci» respondet Augustinus⁷¹, quod ad veritatem huius sufficit, quod anima fiat ex alia anima; et hanc sententiam plenius habet tractatus ad Renatum De origine animae⁷² et epistula^g de ista eadem materia ad Hieronymum⁷³ hanc dubitationem secum disputantem.

51 *Septimo* arguitur sic *contra eandem conclusionem*: Si anima hominis crearetur a Deo, sequitur quod homo non ab homine, sed a Deo generaretur. Consequentia patet, quia inductio ultimae formae est generatio. Si igitur ultimam formam, puta animam solus Deus inducit, iam homo non ageret ibi aliud nisi disponendo materiam, sed Deus generabit, quia ultimam formam inducit.

52 *Octavo* arguitur sic: Si Deus crearet animam, sequitur quod Deus esset causa peccati originalis. Falsitas patet. Consequentia probatur, quia, si aliquis homo aliquam animam infunderet corpori, unde anima peccatum vitare non valens contrahit, talis peccati esset homo auctor; sed Deus sic facit, si animam creat. Igitur etc. Idem probatur aliter, quia, si Deus crearet animam, sequitur quod anima in primo instanti sui esse non haberet peccatum. Consequentia probatur per modum arguendi Magistri in hoc secundo dist. 5⁷⁴, ubi probat, quod angeli non fuerunt mali in primo instanti, quia alias Deus creasset eos malos. Idem arguitur auctoritate Scripturae Exodi 1 (5), ubi dicitur: «Omnes animae, quae egressae sunt de femore Jacob».

53 *Nono* arguitur *contra tertiam conclusionem*, et hoc sic: [fol. 179ra] Corpus non agit in animam, ut probat Augustinus Super Genesim⁷⁵,

^g epistulae Ms.

⁶⁹ l.c. X, 6: ibid. 302, 17-21.

⁷⁰ cf. l.c.: ibid. 302, 23sqq.

⁷¹ cf. l.c.: ibid. 302, 7sqq.

⁷² *De natura et origine animae*, libri quattuor: CSEL 60, 301-419; cf. l.c. I, 14, 21 et II, 14, 19: ibid. 321sq et 354.

⁷³ *Epist.* 166: CSEL 44, 545-585; cf. l.c. 8, 24sq: ibid. 579sq.

⁷⁴ PLomb. II, 3, 4: 343, 15-346, 21.

⁷⁵ *De Gen. ad litt.* XII, 16: CSEL 28, vol. 1, 402, 5-8.

quia omne agens est praestantius suo passo. Igitur corpus animam non maculat. Cuius oppositum dicit conclusio tertia. Consequentia patet, quia inducens maculam in aliud agit in ipsum.

54 *Decimo* ad idem arguitur sic: Peccati macula non est in carne ante infusionem animae. Igitur caro non inducit in animam talem maculam. Antecedens patet, quia alias massa inanimata diceretur peccator. Consequentia patet, quia nihil inducit maculam in aliud, quae non est in se ipso vel quam non habet in se ipso saltem causaliter vel formaliter.

55 *Ad ista respondetur. Ad primum* negatur antecedens. Ad probationem dico, quod in emissionem et in remissione talis seminis est tanta libido, quod sufficit in praesenti. Licet enim possibile sit, quod non tunc eadem mensura delectentur parentes, tamen utrique delectantur.

56 *Ad secundum* dicitur, quod si Deus hoc faceret, tunc ageret contra consuetum cursum naturae, et crederem, quod talis fetus bene careret libidinosa concupiscentia; sine qua etiam primi parentes non violato praecepto genuissent, ut determinat Augustinus Super Genesim⁷⁶. Tamen non credo, quod si ille casus fieret, quod propter hoc talis puer originali culpa careret. Conclusiones autem loquuntur de facto et secundum debitum cursum naturae.

57 *Ad tertium* scilicet ad auctoritatem Augustini dico, quod in omnibus locis, ubi vidi eum tractare istam materiam, probabiliter et non assertive loquitur, ut patet cuilibet intuenti. Unde non restat nisi rationes per eum adductas solvere. Ad primum igitur, cum dicitur, quod requievit etc., dico quod requievit et creando novas rerum species, non quin esset similes producturus, et frequenter accipiendo antiqui doctores pro specie naturam accipiunt. Unde quando dicitur, quod eadem sit natura Christi et nostra, non est dubium quin significetur, quod simus idem specificum cum Christo.

58 *Ad secundum*, quod est *quarta ratio* in ordine, cum dicitur: «Omnes in Adam» etc. dico, quod peccavimus in Adam secundum carnem, et tunc quando dicitur ultra: «Caro non peccat», dico, quod licet caro non peccet, tamen potest sic infici, ut digna sit quod anima secum coniuncta inficiatur. Potest etiam dici, credo, quod quoad culpam omnes tam secundum naturam quam secundum carnem peccavimus, quia omnes

⁷⁶ cf. l.c. IX, 11: ibid. 280sq.

creandae animae et infundendae corporibus culpam inciderunt excepta sola anima Christi, quia eius caro per concupiscentiam non fuit concepta et per consequens nec vitata.

59 *Ad quintum* dico, quod Augustinus per se exponit hoc, quia dicit, quod non secundum concupiscentiam natus est Christus, quemadmodum Levi; modo soli descendentes per concupiscentiam in lumbis Levi decimati sunt, quia pro illis dabantur decimae et fiebant caeremoniae pro eorum peccatis.

60 *Ad sextum* dico, quod illa solutio non est beati Augustini, sed opinionis oppositae, de qua dicit Augustinus, quod sic posset responderi⁷⁷. Unde expositio Augustini est etiam Hieronymi et Magistri Sententiarum et postmodum communiter per catholicos doctores approbata. Quare sibi est amplius assistendum.

61 *Ad septimum* negatur consequentia. Ad hoc enim, quod homo generetur, sufficit quod corpus concipiatur et quod ei infundatur anima et quod postmodum [fol. 179rb] totum compositum ex utero gradiatur.

62 *Ad octavum*, cum dicitur: «Sequitur quod Deus esset causa» etc., negatur consequentia. Nec valet similitudo de homine, qui infunderet, et de Deo, dicente Augustino quinto Contra Iulianum⁷⁸: «Nos certe, si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quam vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, utique si voluisset, nulla ratione permetteret, tamen iustus et bonus est». Et sic patet, quomodo a similitudine arguere non oportet nec valet in hoc casu.

63 *Ad aliam probationem* negatur consequentia. Ad probationem, quando dicitur, quod iste modus arguendi est Magistri etc., negatur similitudo de angelo et de homine, quia in creatione angeli sua natura non unitur alicui materiae, ratione cuius ipse contrahat maculam. Anima autem rationalis in sui creatione unitur tali materiae, ratione cuius ipsa etiam necessario contrahit maculam peccati; et ideo sic creando angelum esset causa peccati. Hoc autem non sequitur de creatione animae.

64 *Ad nonum*, cum dicitur: «Corpus non agit in animam» etc., dico quod, licet proprie loquendo caro nihil agat in spiritum, tamen ex

⁷⁷ cf. l.c. X, 6: ibid. 302, 8sqq.

⁷⁸ C. Iul. V, 4, 14: PL 44, 791.

consortio carnis et animae ipsa anima maculatur, ut patet per Magistrum in hoc secundo, dist. 31⁷⁹.

65 *Ad decimum* dico quod, licet peccatum non sit in carne sic, quod caro habeat peccatum, tamen sic est in carne, quod ex consortio animae ad ipsam carnem foeditas in anima contrahitur. Et haec sint dicta de secundo articulo huius quaestionis.

[Tertius articulus]

66 Expeditis igitur duobus articulis huius quaestionis nunc accedendum est ad tertium articulum, ubi videndum est, qua poena peccatum originale in parvulis iusto Dei iudicio puniatur. Pro cuius articuli responsione suppono^h cum fide catholica et etiam cum beato Augustino⁸⁰, quod peccatum originale in parvis puniatur, ut supponit iste articulus.

67 Tunc dico, quod nomine poenae intellego omne incommodum perceptibiliter offensivum. Et si quid tale est formaliter, illud formaliter est poena; ut hominem cremari ab igne vel laedi hoc est formaliter poena, sed ignis dicitur poena effective. Per parvulos etiam intellego homines nondum ratione utentes, qui penitus nullum actuale peccatum contraxerunt nec commiserunt in ista vita, sine baptismo decedentes.

68 His itaque praemissis pono aliquas conclusiones probabiles, quia plures in hac materia discordant. *Prima igitur conclusio* sit ista, quod nullum malum poenae mera carentia est; sed magis est quaedam qualitas afflictiva. *Secunda conclusio* est, quod parvuli decedentes in peccato originali perceptibiliter sustinent poenam. *Tertia conclusio* est, quod parvuli sine baptismo decedentes nullum ignem materiale sustinent. *Quarta conclusio* est, quod in genere poenarum aeternalium poena talium parvulorum est minima. *Quinta conclusio* est, quod poena aeterna pro peccato originali in uno non est maior quam in alio. [fol. 179va].

69 *Prima conclusio probatur* sic: Quamlibet qualitatem differentem totaliter ab alia Deus potest auferre ab aliquo subiecto sine alterius positione. Igitur conclusio vera. Consequentia patet, quia si aliqua poena

^h supposito *Ms.*

⁷⁹ PLomb. II, 31, 4: 506, 27sq.

⁸⁰ vide infra TB 72 et 74.

esset mera privatio, tunc esset aliqua poena, quam Deus auferre non posset sine positione illius, quod privat. Cum autem omnis poena sit passio et qualitas de ista specie, quare Deus eam non posset auferre, nescio ubi poneret ibi aliam qualitatem.

70 Ad hoc est Anselmus De casu diaboli cap. 26⁸¹ ponens, quod «malum quod est iniustitia nihil est, sed malum quod est incommoditas sine dubio aliquando non est nihil». Istam auctoritatem Buckinghamⁱ⁸² exponit dicens, quod Anselmus intendit, quod non est nihil, id est non habet solam causam deficientem, quod habet malum culpae secundum Augustinum quinto De civitate Dei cap. 7⁸³; sed malum poenae habet causam efficientem. Sed huic glossae apertissime contradicit ipsemet Anselmus⁸⁴ dicens, quod «malum quod est incommoditas, aliquando nihil est ut caecitas, aliquando est aliquid ut dolor. Et hanc incommoditatem, quae aliquid est, semper odio habemus. Cum igitur audimus malum, non malum, quod nihil est, timemus, sed malum, quod aliquid est», odio habemus.

71 Secundo arguitur sic: Si omne malum poenae esset pura privatio, sequitur quod aliquis posset pati poenam ignis sine igne. Consequentia probatur, quia si poena ignis non est nisi carentia, cum cuiuslibet rei Deus possit ponere carentiam, nullam rem aliam ponendo in aliquo subiecto, sequitur etiam quod Deus posset facere, quod Sortes pateretur ab igne nullo igne existente.

72 *Secunda conclusio probatur* sic: Parvuli puniuntur a Deo. Igitur percipiunt poenam. Consequentia est vera. Antecedens patet per Gregorium nono^k Moraliū cap. 22⁸⁵, ubi dicit, quod «perpetua tormenta percipiunt, qui nihil propria voluntate fecerunt». Huic concordat Augustinus quinto Contra Iulianum⁸⁶ dicens «tanta poena esse parvulos plectendos, ut eis non nasci potius expediret».

73 *Tertia conclusio*, videlicet quod parvuli decedentes sine baptismo nullum ignem materiale sustinent, sed carebunt visione divina, quan-

ⁱ Bukincam Ms.

^k quinto Ms.

⁸¹ cf. *Dialogus de casu diab.* 26: Op. omn. I, Edinburg 1946, 274, 8-9.

⁸² THOMAS DE BUCKINGHAM (mort. post annum 1358).

⁸³ cf. *De civ. Dei* V, 9: CCL 47, 138-140.

⁸⁴ l.c. 26: ibid. 274, 9-12.

⁸⁵ *Mor.* IX, 21, 32: PL 75, 877.

⁸⁶ *C. Iul.* V, 11, 44: PL 44, 809. — Sed hanc opinionem Augustinus expresse reicit.

tum ad primam partem probatur per Decretalem Extra, De baptismo et eius effectu, cap. «Maiores»⁸⁷. Quae dicit, quod «poena originalis peccati est carentia visionis divinae». Idem habetur aperte in hoc secundo, dist. 33 cap. 5⁸⁸, ubi dicitur, quod «pro originali, quod a parentibus trahitur, parvuli damnabuntur; et pro eo nullam aliam ignis materialis vel conscientiae vermis poenam sensuri sunt, nisi quod Dei visione carebunt in perpetuum». Secunda vero pars huius conclusionis, scilicet quod carebunt etc., probatur sic: Nam talis visio, cum sit omnino supernaturalis, non potest ab aliquo adipisci nisi mediante gratia Dei, propter quod dicit Apostolus [Ad] Romanos 6 (23): «Gratia Dei vita aeterna». Sed omnis existens in peccato originali caret gratia Dei. Igitur non potest habere visionem Dei, quae est vita aeterna.

74 *Quarta conclusio* [fol. 179vb] *probatur* sic: Nam ipsa expresse ponitur ab Augustino in Enchiridion cap. 13⁸⁹ et habetur in hoc secundo, dist. 33 cap. 5⁹⁰ et habetur etiam De consecratione dist. 4⁹¹ et Extra De baptismo et eius effectu, «Maiores»⁹². Nam dicit Augustinus: «Mitissima¹ erit eorum poena, qui praeter peccatum originale nullum aliud addiderunt. Tanto enim quisque habebit tolerabiliorem damnationem quanto minorem iniquitatem». Modo certum est, quod nulli alii possunt habere minorem iniquitatem, quia tales non habent aliquod actuale peccatum. Et etiam non est dubium, quod Augustinus non loquitur de minima poena simpliciter, sed de minima in genere.

75 *Quinta conclusio probatur* sic: Si enim poena pro peccato originali esset in uno maior quam in alio, vel hoc esset ratione primorum parentum vel ratione proximorum parentum vel ratione propriae culpa. Non primum, quia primus parens transmisit peccatum in omnes aequaliter, nec etiam ratione proximorum parentum, quia tunc, ut deducit Augustinus in Enchiridion 45⁹³, qui posterius nasceretur, nimis gravi sarcina peccatorum puniretur et Deus ultra extenderet iram suam, nec etiam ratione propriae culpa, ut de se clarum est, quia nullam habent.

¹ minutissima Ms.

⁸⁷ Decretal. Greg. IX, lib. III tit. 42 cap. 3: CIC II, 646.

⁸⁸ PLomb. II, 33, 2: 520, 13-16.

⁸⁹ Ench. 23, 93: CCL 46, 99.

⁹⁰ PLomb. II, 33, 2: 520, 4-7.

⁹¹ cf. Decreti Gratiani pars 3 De consecr. dist. 4 cap. 3: CIC I, 1362.

⁹² Decretal. Greg. IX, lib. III tit. 42 cap. 3: CIC II, 646.

⁹³ Ench. 13, 47: CCL 46, 75.

76 Aliter arguit Magister pro ista conclusione in littera⁹⁴ ex dictis Augustini et hoc sic: Pro quolibet originali debetur poena minima. Igitur non maior debetur pro uno quam pro alio. Haec ratio modicum concludit, quia non simpliciter minima poena debetur pro originali, cum talis non sit dabilis; quare, si Deus vellet, poenam parvulorum remittere posset; sed est minima in genere, ut dicit conclusio quarta.

77 *Contra istas conclusiones* arguitur et *primo contra primam* et hoc sic: Omne malum est mera boni carentia. Igitur conclusio falsa. Consequentia patet, quia omnis poena est mala, alias non esset poena. Antecedens patet per auctoritates sanctorum per Buckingham^m adductas, quae concludunt communiter tam de malo culpae quam de malo poenae. Et primo per Augustinum Enchiridion [cap.] 34⁹⁵ et habetur in hoc secundo, dist. 34⁹⁶; ubi quaerit Augustinus dicens: Quid est malum? Et dicit: Privatio boni. Et probat de malo poenae dicens, quod morbi et vulnera sunt privationes huius boni, quod est sanitas; ita est de vitiis animorum. Et postea concludit, quod malum non est nisi privatio boni. Idem De natura boni⁹⁷ concludit, quod malum «nihil est nisi corruptio rei vel ordinis naturalis». Idem De vera religione cap. 20⁹⁸ ponit, quod dolor non est aliud nisi «corruptio salutis». Idem duodecimo De civitate Dei cap. 6⁹⁹ probando quod nullum malum fuit ab aeterno, quia malum est in re bona; et per consequens id fuisset aliquando bonum. Ex hoc evidenter patet, quod vult, quod omne malum sit privatio.

78 *Secundo contra secundam conclusionem* arguitur sic: Parvuli solum habent carentiam visionis divinae. Igitur conclusio falsa. Antecedens patet per Magistrum in littera dist. 33 cap. 5¹⁰⁰. Consequentia patet, quia nulla poena est sola carentia, ut dicit conclusio prima.

79 *Tertio contra eandem* arguitur sic per Glossam Decreti, [De] consecratione dist. 4¹⁰¹, «Nullaⁿ», ubi dicitur, quod tales parvuli

^m Buchinam Ms.

ⁿ dist. 4 Nulla] dist. 8 Nullus Ms.

⁹⁴ cf. PLomb. II, 33, 2: 520, 7sqq.

⁹⁵ Ench. 3, 11: CCL 46, 53sq.

⁹⁶ PLomb. II, 34, 4: 527, 1-6.

⁹⁷ De nat. boni 4: PL 42, 553.

⁹⁸ De vera rel. 12, 23: CCL 32, 202.

⁹⁹ cf. De civ. Dei XII, 6: CCL 48, 360.

¹⁰⁰ PLomb. II, 33, 2: 520, 14-16.

¹⁰¹ Decreti Gratiani pars 3 De consecr. dist. 4 cap. 142: CIC I, 1408.

«manent in tenebris»; Glossa: [fol. 180ra]¹⁰² id est: tantum habebunt carentiam divinae visionis.

80 *Quarto contra tertiam conclusionem* arguitur sic, et hoc per dictum Augustini De fide ad Petrum cap. 23¹⁰³ et habetur in quarto huius, dist. [4] cap. 13¹⁰⁴, et habetur etiam De consecratione dist. 4 «Firmissime»¹⁰⁵. Ubi dicit Augustinus: «Firmissime tene et nullatenus dubites parvulos, qui in matris uteris vivere incipiunt et ibi moriuntur vel de mulieribus nati sine sacramento baptismatis transierunt, aeterni ignis supplicio puniendos».

81 *Quinto contra idem* arguitur sic per Glossam Extra, De baptismo et eius effectu, «Maiores»¹⁰⁶ dicentem, quod poena parvulorum est mitissima, tamen sempiterno igne cruciantur.

82 *Sexto* arguitur sic: In die iudicii erit solum via bipertita, ut patet Matthaei 25 (34 et 41) videlicet vel in ignem aeternum vel in regnum. Sed secundam viam non habebunt parvuli; igitur primam. Et per consequens cruciabuntur igne.

83 *Septimo contra quartam conclusionem* arguitur sic: Maiori culpae debetur maior poena et minori minor. Sed in genere culparum culpa originalis non est minima. Igitur nec poena minima in genere poenarum erit sibi debita. Maior patet Deuteronomii 25^o (2): «Iuxta mensuram culpae erit plagarum modus». Et minor patet etiam, quia culpa peccati actualis in infinitum est remissibilis. Igitur tantum potest remitti, quod ipsa adaequatur originali.

84 *Octavo arguitur contra quintam conclusionem* et hoc sic: Poena pro originali peccato fuit minor ante passionem Christi quam nunc. Igitur conclusio falsa. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia nunc privantur maiori gratia quam tunc. Nunc enim habemus gratiam per baptismum, per quod solvimur a culpa et habiles reddimur subito ad intrandum regnum, tunc autem solum aliqui, qui habebant remissionem

^o Exodi 23 Ms.

¹⁰² cf. *Corpus Iuris Canonici... Glossis diversorum illustratum* pars I: Lyon 1671, 2030 u.

¹⁰³ FULGENTIUS RUSP., *De fid. ad Petr.* 27, 70, 1247sq: CCL 91A, 753.

¹⁰⁴ PLomb. IV, 4, 4: 769 nr. 47.

¹⁰⁵ *Decreti Gratiani* pars 3 *De consecr.* dist. 4 cap. 3: CIC I, 1362.

¹⁰⁶ cf. *Corpus Iuris Canonici... cum Glossis ordinariis* pars II: Lyon 1671, 1385sq h.

culpa. Hoc patet Extra, De baptismo etc., «Maiores»¹⁰⁷. Sed maior est poena privari maiori bono quam minori; et si sic, nunc^p iam erit maior poena pro originali quam tunc.

85 *Nono* arguitur sic: Per exorcismum culpa originalis minuitur. Igitur conclusio falsa. Consequentia patet per casum. Esto, quod aliquis exorcizatus decedat nondum baptizatus ab hac vita. Antecedens patet, ut habetur De consecratione dist. 4, «Sicut nostis»¹⁰⁸, et ponitur in quarto huius, dist. 36 cap. 17¹⁰⁹, ubi dicitur: «Parvuli sufflantur et exorcizantur, ut ab eis pellatur diabolus». Sed diabolus non est in eis nisi per culpam originalem. Si igitur diabolus expellitur, tunc vel culpa originalis expellitur in parte vel in toto. Sed non in toto, quia hoc non fit sine baptismo; igitur in parte, et sic talis poena minuitur.

86 *Decimo* arguitur sic: Mors temporalis et concupiscentia carnis sunt poena originalis culpa; sed haec sunt in aliquo intensius, in aliquo vero remissius. Nam aliqui cito moriuntur, aliqui vero non, et aliqui etiam intensius concupiscunt aliis. Quare etiam poena erit in uno intensior quam in alio.

87 *Ad ista respondetur: Ad primum* negatur antecedens. Ad auctoritates dicitur, quod omnes non intendunt plus, nisi quod ad omne malum sequitur privatio alicuius [fol. 180rb] boni; ita quod, cum dicitur: Omne malum est privatio boni, quod sit ibi praedicatio causalis vel illativa, quia infertur privatio boni ex malo.

88 *Ad secundum* dicitur, quod parvuli non solum habent carentiam visionis divinae. Carentia enim non est aliqua poena, nisi quia ex ea poena sequitur quam habent. Et sic exponitur Magister.

89 *Ad tertium* dicitur similiter, quia si non haberent nisi carentiam et inde non dolerent, iam carere nulla poena esset eis. Si quis enim faceret mihi regnum Franciae debitum inesse, me nesciente faceret, quod essem privatus regno Franciae; et tamen nullum malum faceret mihi hoc agendo. Unde non est universaliter verum, quod tam malum sit alicui carere aliquo sibi debito, quam bonum est habere illud.

^p tunc Ms.

¹⁰⁷ *Decretal. Greg. IX*, l.c.: CIC II, 645.

¹⁰⁸ *Decreti Gratiani pars III De consecr.* dist. 4 cap. 62: CIC I, 1383.

¹⁰⁹ PLomb. IV, 4, 7: 784 nr. 72.

90 *Ad quartum* scilicet ad Augustinum dico, quod propter istam auctoritatem aliqui¹¹⁰ tenent conclusionem oppositam. Dico tamen quod per ignem intellegitur poena, quam patiuntur etc., non ignis materialis. Sed contra tunc eodem modo posset glossari illud Matthaei 25 (41): «Ite maledicti in ignem» etc. et illud Symboli¹¹¹: «Qui vero male egerunt, in ignem aeternum». Hic respondetur dicendo, quod non potest, quia illud dictum Christi et Symboli etiam per sanctos doctores glossatum est. In proposito autem doctores discordare videntur. Unde sanius est parti saniori Ecclesiae consentire, scilicet quod non patiuntur ignem materiale.

91 Per hoc patet etiam responsio *ad quintum*. Nam contra idem versatur.

92 *Ad sextum* dicitur, quod Dominus loquitur ibi illis, qui commiserunt peccata actualia, videlicet qui neglexerunt opera misericordiae. Sed per hoc non excludit, quin parvuli patiantur aliam poenam ab illis.

93 *Ad septimum* conceditur maior ad bonum sensum et negatur minor. Et ad probationem dicitur, quod manens in specie sua numquam est tantum remissibilis, ut originali culpae adaequetur, quia specie differunt; duae autem species aequales esse non possunt. Sed si intellegitur de remissione simpliciter in genere, tunc forte remitteretur, ut fieret venialis, quae fuit mortalis; quod non est dicendum.

94 *Ad octavum* dicitur, quod conclusio loquitur hic de poena, quam patiuntur in inferno, et ista est aequalis, quia illos impedivit culpa, ne essent participes futurae redemptionis, sicut istos impedit, ne sint participes redemptionis praeteritae.

95 *Ad nonum* dicitur, quod per exorcismum non minuitur culpa originalis, sed tantum expellitur diabolus, ne tantum possit impedire temptando et instigando ad malum, sicut alias faceret.

96 *Ad decimum* dico, quod conclusio intendit de poenis aeternis, ratio autem concludit de poenis temporalibus; quare ipsa non valet.

¹¹⁰ cf. GREGORIUS DE ARIMINO, *In secundo Sententiarum* dist. 30 qu. 3: Venedig 1503, fol. 105ra.

¹¹¹ *Symbolum «Quicumque» Pseudo-Athanasianum* 41: *Enchiridion Symbolorum*, ed. H. DENZINGER-A. SCHÖNMETZER, Freiburg 1963³², 40/76.

97 *Ad rationem principalem*, cum dicitur: Peccatum originale etc., negatur consequentia. Et quando arguitur: Hoc est peccatum [fol. 180va] etc., conceditur consequentia ad bonum intellectum. Et quando tunc ultra arguitur: Igitur si hoc non est illi etc., negatur consequentia...

98 *Ad secundam* dicitur, «quod filius dicitur non portare peccatum patris, quia non punitur [pro] peccato patris, nisi fit particeps culpae. Et sic est in proposito. Nam culpa derivatur per originem a patre in filium, sicut peccatum actuale per imitationem». Haec Thomas Prima Secundae qu. 81 art. 1 ad primum¹¹².

¹¹² THOMAS AQU., *Summa theol.* I, II q. 81 a. 1 ad primum: Turin 1952, 372 col. 2.